



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Schefferi Argentoratensis De Re Vehiculari Veterum Libri Duo

Scheffer, Johannes

Francofurti, 1671

Cap. X. De Monaco.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13156

rum c. 20. commemorat vehiculum cum rotis etiam octo. Deniq; inquit, *octophorum*, cuius ad Q. Fratrem meminit Cicero, vehiculum octo rotarum fuit, quo maxime Caligulam usum Tranquillus refert. Verum fallitur vir alioquin haud indoctus, quod vel ipsum satis ostendit vocabulum, non à *ὀκτώλοισ* aut *τροχόισ*, hoc est rotis formatum, sed à *ἔζεω*, quod significat *gestare*. Ac jam in superioribus monstravimus, sic esse nuncupatum non currum aliquem cum rotis, sed lecticam, quam gestabant octo lecticarij. Neq; usquam alibi reperias memoratas rotas octo ullo in vehiculo.

Cap. X.

De Monaco.

Monacus. Monacosimum. κβου an jumentum. Meursius & Vossius revelluntur. Isidorus corrigitur. *Monocosmon*, & *monacosimon* differunt.

Sicut pro numero alio alioq; rotarum, ita & equorum alijs alijsq; vehicula nominibus sunt compellata. Hinc bigæ, trigæ, quadrigæ, ut liquebit amplius ex sequentibus. Habuerunt vero aliqua cum jumentis quoq; singulis, sicut hodie passim est receptum. De quibus ideo hic primum agemus. Memorantur ea in Glossario veteri Arabico Latino, quod Vulcanis est publicatum, iis verbis: *Monacus, genus vehiculi, quod ab uno jumento ducatur*. Ostendunt manifeste satis verba hæc, fuisse nota veteribus vehicula, quæ etiam ab uno tantum traherentur jumento. Neq; usus eorum recentior, sed antiquus plane, ipsiq; notus Homero videtur. Is enim ita loquitur Iliad. M. ubi agit de via munita per Archivos palis sudibusque, & coacta in angustum, ut

Ἐνδ' ἐνευ βία ἴπῳ εὐτροχὸν ἄρμα τήλαιων.

Illic non facile equus volubilem currum traheret. Unum solummodo hic equum memorat in curru, ut proinde genus id intelligendum fuerit, quod dixi. Videturq; ipsum probare Poetæ institutum. Vult enim monstrare viam prorsus arctam & quæ excludat cuncta bellica vehicula, qualia tum fuerunt etiam bigæ. Quare ait, capere vix potuisse vehiculum, quod ab uno solo traheretur equo.

Dicit

Dicit autem auctor Glossarum ante laudatarum, id vehiculum vocari *monacum*. Querunt viri doctissimi, unde nomen hoc sit ortum, & quid ita dictum sit id vehiculum. Meursius suspectum quoque habet, immutariq; putat oportere in *monocosmum*, quod legitur in Glossis Isidori. Cum eo facit quoq; Vossius in de vitiiis Serm. Lat. lib. III. c. 27. ubi ita habet. *Monocosmum ab Isidoro in Glossis exponitur, quod ab uno jumento ducitur, vehiculi genus. Nec dubium, quin in Glossis Arabico-Latinis cū Meursio legere oporteat: Monocosmū, vehiculi genus, quod ab uno jumento ducatur, ubi vulgo monacus.* Scilicet existimarunt ambo vocem monacosmi esse à μόνος, quod solum sive unicum significat, & κόσμος, quod Meursius jumentum, Vossius ornatum reddidere. Atque Meursij quidem sententia, κόσμον pro jumento accipientis, palam falsa est, satisq; Vossio refutata. Vossij vero refellitur explicatione Isidori, quæ nil habet de ornatu. Ergo alia quærenda est origo. Arbitramur autem esse non à μόνος & κόσμος, verum μόνος & ἄγειν, recteq; dici non modo *monocosmon*, de quo tamen statim plura, sed & *monacum*. Nempe in *monacius* litteram existimo esse permutatam, & *monacius* scriptum pro *monagus*, sicut fieri & in aliis consuevit. Si enim & *cenas* pro *genas*, *frucem* pro *frugem*, *rocato* pro *rogato* reperimus, cum non paucis alijs generis ejusdem. Porro *monagus*, quasi μοναγός, quomodo & *hippagus* simili originatione apud Plinium lib. VII. c. 56. quæ Græcis ἵππηγός. Qui *monagus* proinde significabit currum tractum ductumve ab uno, non sententia Glossatoris solum, verum ipsa vocabuli ratione. Et quia idem significare debet *monocosmon*, etiam de eo aliter vix judicandum. Quanquam mea sententia Isidorus scripserit, non *monocosmon*, sed *monacosmon*, similiterq; id posuerit pro *monagosmon*. Ut *monagosmon* sit dictum per insertionem litteræ s. pro *monagomon*, hic vero pro *monagogimon* significatione parili, cum monaco. Nisi putamus esse aliud *monocosmon* seu *monacosmon* in masculino, & aliud in neutro. Ita namq; habet vocabularium vetus nescio quod, Vossio laudatum: *Monocosmus, id est genus vehiculi, quod ab uno jumento trahitur. Et hoc monocosmum, id est, currus, unum tantum portans & dicitur à monos & cosmus.*

Facit manifestam differentiam inter *monocosmos* vel *monocosmus*, & *monocosmon*, seu *monocosmum*. Verum metuo, ne sit inanis hæc subtilitas magistri. Et quæ illius possit dari ratio? Cur masculinum ad vehiculum à jumento tractum significatione passiva, neutrum vero ad vehiculum portans hominem significatione activa referendum? cum ut in masculino vocabulum substantivum *currus*, sic in neutro *carpentum* vel quid simile possit intelligi. Deniq; si facienda differentia, rectius fortasse diceretur, aliud esse *monacosmon*, & aliud *monocosmon*. Hoc oriri à *monos* & *cosmos*, illud à *monos* & *agein*. *Monacosmon* esse vehiculum ab uno ductum animali; *monocosmon* adornatum uni homini, hoc est præparatum ac instructum in unius tantum alicujus usum. Nam quod masculinum attinet, exponit illud pari modo Vulcanius in Notis ad Isidori Glossas, sicut neutrum, neq; generis intuitu differentiam ullam reperit. Quamquam mihi expositio vehiculi in unius modo usum præparati tota videatur commentitia. Nec enim peculiare quoddam fuit genus, sed ex cæteris generibus quæcunque fuere minuta, unum tantum capiebant. Ut proinde non ex Isidoro Glossæ, sed ex Glossis Isidorus emendandus videatur, nec *monocosmon* legendum, sed *monacos*. Cum præsertim quidam Isidori habeant *monacosmum*, non *monocosmum*, ut Vossius citavit. Quicquid vero sit de lectione, illud planè liquet, non descendere à *cosmos*, ac iccirco nullum innuere vehiculi ornatum. Ut descriptum frustra sit à Vossio, quod fuerit *vehiculum hominum delicatiorum ornatè compositèq; procedentium, actale, ut unum tantum hominem, vel summum & alterum caperet*. Nam contra fuit vehiculum, quod ab uno trahebatur jumento, sicut verbis manifestis docent veteres, quorum major hac in parte fides esse debet, quam conjecturæ, quæ ex voce, forsitan corrupta oritur. Adde quod si illud *monos* referendum est ad hominem, ratio vocabuli pereat, si vehiculum præter illum unum admiserit & alterum. Sane à jumēti trahentis numero solitario, nō hominis utentis, nec ornatu vehiculi vel hominis, sed ductu esse nominatū voluit Glossarum auctor, quādo non *ducitur* scripsit, sed *ducatur*. *Monacus*, ait, *quod ab uno ducatur*, quasi diceret, monacus ita vocatus est, quod duca-

ducatur ab uno tantum, hæcque illius sit constructio formaque, ut jumenta plura non admittat. Reddit rationem appellationis per illud *quod*, non pronomen isto loco, sed conjunctionem causalem, ut Grammatici appellant. Habet quidem Isidorus *ducitur*, ubi monachosimum describit. Sed cum reliqua conveniant, magno opere de hoc non laborandum, æque forsitan corrupto. Cum præsertim viri docti consentiant fateanturque omnes, non diversa genera, sed eadem utriusque describi. Cæterum quæ reliqua monaci fuerit structura, dicere non habemus, cum illius apud alios, quod ego quidem sciam, mentio non occurrat. Ex Homero, si monachus est, quem memorat in verbis antea laudatis, quod opinor, colligas, jumentum, quod appellat Isidorus, accipiendum esse equum, quippe quem in ipso nominatim memoret. Quanquam hoc perpetuum fuisse vix opiner. Sed & quia vocat *άρμα* id vehiculum, quod describit, duas tantum suspicari possis habuisse rotas, talis enim currus, quem *άρμα* proprie significat, ut loco alio prolixius tradetur. Usus quoque monaci parum notus. Putes magis ad vehenda onera & id genus pertinuisse. Saltem bellicis & militaribus Homerus opponit, sicut supra vidimus. Quanquam cum monachus seu monagus dictus sit, ut bigæ, trigæ, ac id genus, quæ ad bella vel spectacula adhibita, dubitare possis. Videturque de illius usu ad solennes ludos posse colligi non nihil ex nummo veteri, quem exhibet Hubertus Goltzius inter Siculos tabula septima numero tertium. In eo namque ad vehiculum, quale bigarum quadrigarumve solet esse, juncta cernitur mula, eaque unica. Verum metuo, ne focia illius sit omissa vitio sculptoris, adeoque nullus ibi nobis monachus exhibeatur. Cum præsertim ipse Goltzius in eo nummo bigas memoret in Indice, ubi de mularum bigis loquitur. Sed nec alibi in ludis vel spectaculis monaci aut vehicula cum equis singulis vel memorantur vel repræsentantur picti. Ut adhuc res maneat ambigua, donec industria alterius suo tempore manifestabitur.